

G H W

1 6 2 4



Disciplinae Speculative generales à se invicem per abstractionem à materia  
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-  
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singula etiam convenit Discipline:  
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-  
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,  
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata  
 et universaliter secundum rationem; Quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia  
 eadem reperiuntur, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione  
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,  
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-  
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae  
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in ipsis, quae non solum in ap-  
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reperiuntur, et saltem  
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-  
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,  
 nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-  
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-  
 plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas  
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K. F.  
 W. F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~



DISPUTATIONUM  
METAPHYSICARUM  
TERTIA

De  
CONCEPTU ENTIS,

Etque  
OBJECTIVO ET FORMALI,

Quam  
Bono cum DEO

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII

Croppenstad. Saxonis,

*Consensu Amplissima Facultatis Philosophicæ*

*In florentissima*

*WITTEBERGENSI Academia*

Publico Examine subicit

GEORGIUS Bach / Ulmano  
Suevus.

*In Auditorio Philosophorum,*

Ad diem 29. Martii

*horis matutinis.*

---

WITTEBERGÆ

Ex Typographæo CHRISTANI THAM,  
Academ. Typogr.

---

ANNO MDCXXIII.

DISPUTATIONUM  
METAPHYSICARUM  
PARTIA  
CONCEPTIVAE

OBJECTIVO ET FORMALI

Bono cum Deo

M. JOHANNIS SCHARTII

Croppstedt Saxoniae

Conspectus

WITTENBERGENSI ACADEMIA


Publico Examinis subiecto

GEORGIO WILHELMO

In Auditorio Philosophorum

Ad diem 29 Martii

Annus 1711



WITTENBERGAE

Ex Typographico Christiani Thomae

ANNO MDCCLII





DISPUTATIO METAPHYSICA  
TERTIA

De

CONCEPTU ENTIS, EOQUE  
OBJECTIVO & FORMALI.

Eiusdē.



Atum ergo ingressi ipsam Entis theoriam, cuius simplicem capimus, porrò nunc expediamus necessariam est. Et quia simplex entis theoria ipsam entitatem in sese, præcisus omnibus modis, quantum fieri potest, exactissimè ponderat, expendatq;: ideò nunc rectà progredimur ad ipsum conceptum Entis proprium evolvendum: cum hæc doctrina non modò spectat ad simplicem entis theoriam plenè tradendam; sed imprimis necessariò requiratur ad plenariam entis definitivam contemplationem dextrè absolvendam. Quæ enim in antecedenti disputatione de ratione Essendi, sive de Esse Entis dicta sunt, adhuc confuse & leviter adumbrare videntur, quid sit ens reale, ut sic, & quomodo illud abstractè se habeat. Hanc. E. in rem, ut scilicet exactior & distinctior elucescat notitia Entis ut sic, hac in disputatione de proprio & adequato Entis Conceptu, eoq; tum Formali, tum Objectivo nonnulla paulò accuratius discutiemus. Sit igitur.

THESIS I.

Ut cujuslibet disciplinæ, ita quoque *Metaphysica objectum* duplicem admittit considerationis statum, unum rei, sive naturæ, quem intrinsecum & absolutum; alterum cognitionis, quem extrinsecum & respectivum non utique incommodè appellare possumus.

A 2

II. Prio-

VII. B. C.



II. Priorem statum Ens sortitur quoad existentiam, quatenus illud in esse rei, h. e. præcisè juxta eam conditionem, quam obtinet secundum se, nimirum quatenus existit cum talibus naturis vel proprietatibus citra ullam habitudinem ad intellectum, cujus consideratio ei actu objiciatur, consideratur. Posteriores consequitur ex ordine ad intellectum, prout idem Ens in esse cognito statuitur.

III. Est verò Ens in esse cognito tum, quando idem idealiter objectivè (non consequenter) in intellectu est. Objectivè autem in intellectu esse, nihil aliud est, quam esse in prospectu intellectus, sicut cognitum in cognoscente; eo ferè modo, quo dicitur esse in prospectu videntis totum illud, quod visu metitur; sive ita sit in se, sive in sua similitudine, quod nullum ponit reale in Ente cognito sive objecto, sed tantum in intelligente illud.

IV. Quando ergò jam Ens ita menti quoad hoc esse cognitum præsens est; duplex ejusdem habitudo ad intellectum, cognoscentem emergit; vel 1. moventis effectivè ad sui cognitionem, vel 2. terminantis, ad quod ceu terminum ipsa terminatur cognitio.

V. Hæc consideratio Entis quoad motionem & terminationem hanc parit ejusdem apud intellectum geminam cognitionem sive conceptum; Objectivum unum, alterum Formalem. De utroque ut paulò altius disquiramus, hic primùm in genere de conceptu Entis quædam monenda videntur; tum quomodo is generetur, tum quomodo, sit præcisus & abstractus ab inferioribus.

VI. Quoad prius attendendæ sunt partim res ipse, partim intellectus. Scilicet è rebus eruendus est conceptus entis, & non nisi rei conceptus esse potest; insuper à mente s. intellectu fit conceptus. Hic est causa efficiens & generans vobis: ille habent rationem termini à quo; vel sunt ipsum objectum sive materia, quæ præcisè per operationem mentis apprehenditur.

VII. Res

¶ VII. Res de facto prout existunt in natura, ferè omnes *compositæ* sunt & concretæ; ubi uni per plurima conjunguntur. Substantiis adjacent accidentia varia, & hæc nunquam sine substantiis inveniuntur: Omnes creaturæ sunt compositæ *partibus essentialibus*, jam *ex actu & potentia*, itemque *ex esse & essentia*, ut Angeli & Spiritus; jam *ex materia & forma*, ut corpora; jam *ex aliis corporibus mixta*, ut elementata. Insuper non unum accidens solitariè substantiis creatis adjungitur, sed apparatus multivariorum: aded ut ne unum inter creaturas & res sensibus nostris subjectas invenire liceat, ubi non in uno concurrat multitudo & quasi concretio diversorum entium.

VIII. Quid jam hic factitandum putes? quomodo elicitur ex istis *conceptus unus*? sanè intellectus noster nequit multa simul apprehendere, nequit *res ita confusas concipere*; sed *in determinatum semper fertur objectum*, quod ipsum determinatè percipit, non perceptis reliquis.

IX. Quia ergo *res ipse* de facto sunt admodum *confuse & concretæ*, adeoq; de se non habent unum determinatum & distinctum distinctè suppeditare conceptum: sed multiplices variosque involvunt, & confuse intellectui offerunt omne, quod offerunt, idcirco *intellectus nostri operationes & virtutes* in subsidium hujus rei vocandæ erunt, ut scilicet, elucescat, quomodo unus distinctus generetur conceptus; indeq; conceptus Entis ritè formetur, appareat.

X. Primum igitur extra omnem controversiam est, quod anima nostra habeat *vim intellectivam*, & per multa distinctè intelligat. Ergo etiam res distinctè & verè debet in se recipere, & ita elicere cognitionem. Nisi scilicet conjungatur res cognoscenda cum potentia cognoscitiva, non potest cognosci. Anima ergo debet cum re ipsa conjungi & quasi uniri, quam intelligit, id quod fit per receptionem rei. Res ergo deferri debet ad *intellectum*, & quia secundum esse suum rea-

le totum nequit ingredi in intellectum; per *imaginem* sui ipsi se insinuat: Hoc jam quâ fiat breviter videbimus.

XI. *Omne Ens* spargit & diffundit à se *speciem sui* in partes omnes, easq; primò apprehendunt *sensus externi*, vel visus, vel auditus, vel tactus &c. à quibus deinceps deveniunt ad *sensus internos*, nempe ad sensum *communem*, qui discernit inter species istas sensiles, easq; à se invicem distinguit, & ad *phantasiam*, quæ exactius istas sensiles species dijudicat; ibi tum generantur *Phantasmata*. Hucusque autem saltem fuit sensu-  
lis rei perceptio, & nondum perfecta aut distincta cognitio facta est. Porro itaque imagines istæ à phantasia deferuntur ad *rationem* mentisq; officinam, ubi demum perfectissimè rerum notitiæ elaborantur: & mox incipit intellectio, resq; verè & distinctè intelliguntur.

XII. Quando jam res seu species rei ad intellectum est delata, ibi intellectus quoad intellectionem veram rei & passivè & activè se habet. Duplex enim est *principium*, quo homo intelligit; alterum *formale & efficiens*, alterum *subjectum & quasi materiale*, ut accuratè docit. Clariss. D. Jacob. Mart. Exerc. Metaph. l. 1. Exerc. c. 8. theor. 9. Et hoc est, quod alias *Physici intellectum quoad modum intelligendi suum*, faciunt Activum & Passivum seu possibilem.

XIII. Jam attende quomodo uterque concurrat ad generationem conceptus sive ad veram & distinctam alicujus rei intellectionem. *Agentis* officium duplex est; vel enim 1. *facit de potentiâ intelligibili, actu intelligibile, & de potentiâ universali, actu tale*; Cui muneri respondet *passio* intellectus possibilis, nempe *receptio* speciei intelligibilis productæ ex phantasmate, & è statu phantasmatis deductæ, vel 2. *facit de potentiâ intellecto, actu intellectum*, cui officio respondet *passio* intellectus possibilis, videlicet *receptio intellectionis productæ ab intellectu agente*, ut Clariss. Dn. M. Georg. Gutk. docet disp. de nat. objecti. axiom. 13.

XIV.



XIV. *Agentis* iterum actio dicitur; illuminatio, vel abstractio præcisionis, sive præcisæ perceptionis; *passibilis* receptio vocatur, cum *abstractio* præcisiva *simplex*, tum *comparativa*. Et his intellectus actionibus perfectè constituitur conceptus rei cognitæ, distincteque cognoscitur.

XV. Utriusque denique intellectus *terminus* ex actione resultans est *noëma* seu *conceptus formalis* objectum immediate repræsentans, qui est quædam qualitas de prima specie qualitatis.

XVI. Uno verbo dicam quod intendo. *Intellectus agens*, phantasma in vi imaginandi contentum, illustrat, ex qua illustratione fit, ut in phantasmate *rei naturæ* appareat, quæ illuminatione existente species communis illustrata sub accidentibus, & proprietatibus delitescens, aliam sibi similem ejusdemque naturæ, quæ species intelligibilis dicitur, in intellectu possibili imprimit, per quam imaginem, & speciem intellectus possibilis, qui jam actu intellectus est, intelligit ipsam rei naturam & quidditatem simpliciter in se, eamque (v. g. hominem) à materiâ, certo loco tempore; nomine separatam & abstractam continet. Consule Clariss. Dn. Jacobo Martin. Præcept. nostrum honorand. Exercit. Metaph. d. l.

XVII. Sic ergo apparet, quomodo distinctus rei generetur conceptus. Eodem modo & *conceptus entis* efformatur. Intellectus nempe sua vi nativa tum esse rei apprehendit, cum actione sua præcisiva abstrahit, & ipsum *ἔναι ἀπλῶς* considerat, prout *esse* sive *entitas* est, sine reliquis, quæ ipsi aliâs de facto conjunguntur, vel conditionibus individuantibus vel accidentibus, vel determinationibus particularibus; atque ita in intellectu constituitur *notio* sive *Conceptus Entis* ut sic, abstractaque entis notitia.

XVIII. Quod si fortè hæc tyronibus Metaph. obscura videantur; ita planius ipsis rem omnem hanc repræsentato. *Ens ut sic* vel quatenus tale est, quod objectum Metaph. constituit.

tuit, si vis concipere, quæres vel attendes convenientiam si-  
ve similitudinem rerum omnium inter se, in qua omnia, quæ  
sunt, quæ vel videntur, vel intelliguntur, vel ullo modo per-  
cipiuntur, conspirant. s. conveniunt. Et hoc commune ut sine  
errore deprehendas, instituas collationem & conferas res ad  
invicem: ex qua collatione rerum omnium apparebit con-  
venientia quædam realis. Id autem in quo conveniunt om-  
nes res erit Conceptus entis ut sic E. g. ingrediamur prædi-  
camentum substantiarum, & inibi comparemus aliquot sin-  
gularia, utp. Petrum, Paulum, Mariam, Aristotelem, Pla-  
tonem, &c. apparebit illa omnia individua convenire in spe-  
cie humana; mox in eadem serie rerum assumamus species  
varias, v. g. leonem, equum, piscem, avem, &c. apparebit  
illa omnia convenire in genere, nempe in animali: porro  
sumamus & alia ex eodem prædicamento v. g. arbores, plan-  
tas, herbas, lapides, aurum, argentum, pluvias, nivem, stel-  
las, cœlum &c. apparebit illa omnia convenire in corpore.  
Præterea audis esse angelos, animam rationalem, spiritus,  
dæmones, si conferas inter se vel cum aliis dictis corporibus,  
apparebit convenire in substantiâ. Insuper ex aliis prædica-  
camentis notum est, alia adhuc esse varia accidentia, utpote  
quantitates, qualitates, relationes &c. quæ omnia sive inter  
se, sive cum substantiis conferas, apparebit omnia convenire  
in aliquo esse: sunt quippe aliquid & non omninò nihil. De-  
nique ascendes quoque ad ipsum Deum, quod si & illum  
compares cum reliquis omnibus, sive cum omnibus creatu-  
ris, & ita quæres cum quo conveniat (analogicè autem, non  
univocè) cum illis omnibus, apparebit in esse s. essentia con-  
venire. Nam & Deus sive Creator omnium, à quo de-  
pendent omnia in esse, entitatem habeat necessum est: ecce  
jam ex collatione rerum omnium facile formatur conce-  
ptus entis communis. Quia enim omnia in esse communi si-  
ve in Entitate quædam conveniunt; illud igitur esse commune  
parit

parit conceptum Entis ut sic, qui quomodo præcisus sit, nunc porro inquiremus.

XIX. Quomodo *Conceptus entis* communis *eruat*ur ex omnibus inferioribus, sive ex collatione omnium particularium entium jam ut puto, satis manifestò patuit; *præcisus* autem, sive *abstractus* insuper esse debet iste conceptus Entis. Et quidem illa *præcisio* attendi potest, vel *ratione inferiorum*: quomodo ab ipsis sit *præcisus*; vel *ratione materia*; quomodo ab hac sit *abstractus*. De utroque dicendum erit. Prius quidem satis è quæstionibus & axiomatibus elucebit: *Posterior* etiam infra attingetur: Sic tamen breviter dico, quod *conceptus entis ut sic est abstractus à materia, secundum indifferentiam, quâ scilicet indifferenter se habet ad materialia & immaterialia; & utriq; extremo accommodatur*. Quæ omnia ut distinctius innotescant, propius accedendum erit & in specie de Conceptu Entis *objectivo & formali* accuratius dispiciendum.

XX. His ita prælibatis, quæ ad faciliorem præsentis materiae tractationem omninò videbantur præmittenda, nunc de *Conceptu Entis objectivo* determinaturi dicimus, quod in univèrsum *Objectivus Conceptus* nihil aliud sit, quàm *illa ipsa res objecta, representata & cognita, prout ea in prospectu potentie cognoscentis simul movet ac terminat intellectionem formalem, ipsius intellectus contemplantis*, non aliter sane (ut rem hanc vel ipsis oculis arbitremur) ac *in sensu visus* Coloratum quando nempe actu ipso objicitur, videtur & jam in prospectu videntis potentiam visivam per sui vicariam speciem visibilem impressam movet, ac visionem formalem terminat, dicitur & est, *visum objectivum, seu visio objectiva*.

XXI. Atque hinc simul patet, quod *res objecta* dicatur *Conceptus*, non tanquam in rei veritate formaliter conceptus sit, sed per extrinsecam tantum *denominationem à Conceptu formali*; quatenus actum intellectus formaliter concipien-

B - tem

temperidam formalem in intellectu passibili productam & receptam, inq; se immediatè tendentem terminat. Cum enim conceptus sit actio in facto esse, spiritualis immanens, quomodo res ita verè appellari poterit; dicitur autem *Objectivus*, quia sit objectum & materia, circa quam conceptio formalis versetur. Suar. disp. 2. s. 1. n. 1.

XXII. Quod ergo jam ad *Conceptum Objectivum Entis* atinet, *ille est ipsum Ens, objectum, conceptum, representatum*, non quidem hoc vel illud particulare, sed quatenus *tale*, h. e. ipsa entis natura à conditorū individuantium concrezione, beneficio intellectus agentis vindicata, atque ita ex statu phantasmatis & singularitatis, ad perfectum statum objecti elevata, intellectui passibili per ideam suam præsens, cujus actum formaliter cognoscentem terminat, & à quo ipsa terminatur.

XXIII. Quo autem *natura hujus Conceptus objectivi* plene perspiciatur, quomodoque constituatur, deinceps dispiciamus.

XXIV. Ac primùm quidem cujuslibet scientiæ objectum, ut inclaruit, est ipse conceptus objectivus, quod ut sit scibile, oportet sit universale, cum nulla res à nobis pro hac vita directè ac scientificè cognosci possit, nisi sub tali conditione universalitatis, non quidem propriè dictum, sed saltem singulari contradistinctum. Proinde qua ratione Ens universale fiat ita videbimus.

XXV. *Ens* vel per se, vel per accidens se habet. *Secundum se spectatum*, significat naturam Entis juxta sua attributa essentialia. (quando quidem terminus *ex se* notat attributa ea, quæ conveniunt rei semotis omnibus extrinsecis) Quo pacto licet Entis natura sit indivisa indivisione sibi propria, nempe formali, quæ est ratio ipsa entis consistens in quadam indifferentia per non-pugnantiam cum ad statum universalis objecti, tum existentialis in individuis, nullo tamen modo  
*ex se*

*ex se* vel 1. *una*, unitate videlicet communi, vel 2. *multiplex*,  
vel 3. *determinata*, vel 4. *indeterminata*, vel 5. *universalis*,  
vel 6. *singularis* nunquam esse poterit.

XXVI. Idem tamen *Ens* sumptum *per accidens* ac in *esse*  
*tali respectivo*, quatenus illud partim ad intellectum, partim  
extra hunc à parte rei existit; sicut ratione illius *Ei* unitur &  
communicatur, indeterminatio, universalitas; ita hujus re-  
spectu *Eidem*, multiplicatio, determinatio & singularitas  
competunt, sed prorsus, ut constat, *per accidens*. Nam quæ  
rerum naturæ ex se conveniunt ubique & in quolibet statu  
ei convenire necesse habent.

XXVII. Ergo igitur quando à parte rei in *statu* adhuc *exi-*  
*stentiali ens* consideratur, nondum erit actu objectum scien-  
tiæ Metaphysicæ, nondum *Conceptus Objectivus*, cum hac  
consideratione non tam *Entitas* divisa & singularizata; i. e.  
hoc ens, in hac substantia increata vel creata, incorporea vel  
corporea, in hoc animali, in hoc accidenti singulari osten-  
sum censerit debeat, quam ens aut ratio entis præcisa & com-  
munis.

XXVIII. Quanquam verò à parte rei entia seu entitates  
simpliciter actu sint divisa ac penè infinita, non tamen infi-  
nita distantia invicem distare existimandum est, sed realiter  
similes sibi aliquomodo sunt: Velut hæc res & substantia al-  
teri rei, sive substantiæ, sive accidenti; hæc entitas & acci-  
dens, alii entitati, aut accidenti, aut substantiæ *ineo*, quod est  
*esse* seu in *essendo*, siquidem omnino omniacum substantiæ,  
tum accidentia, utrorumq; modi, *intrinsecè ac essentialiter*  
*combiberunt esse*, propter quod & in quo assimilentur; quæ  
quando intellectum secundum *hoc esse* movent, ille hanc  
similitudinem realem deprehendit ac simul fundamentalem  
unibilitatem.

XXIX. Quoniam autem hæc, ut omnis alia similitudo  
realis necessario præsupponit. 1. *differentiam*, secundum  
quam

quam in aliquibus distinguuntur, alioquin prorsus idem essent, 2. *Convenientiam*, juxta quam conspirant & unibilia sunt in ratione communi superiori & abstracta, intellectus *agens* actione sua præcisiva illam differentiam entium particularium, utpote, quæ super actuali & entitativa divisione fundatur, præscindit ac dimittit; apprehendit verò convenientiam; quæ unibilitatem importat, & secundum istam in intellectu possibili noëma sive speciem expressam representantem naturam entis progignit, in quâ, cum intellectus *possibilis* per vires comparativam cognoscat omnia entia convenire, colligit, abstrahit & concipit unam communem rationem *entis præcisè*, h. e. *ipsum esse*, atq; sic constituit unum conceptum representativum omnium, qui conceptus ita formatus, dicitur ac est *Conceptus objectivus terminans actum* intellectus & *habitus* metaphysicum eum ejus proximum & adæquatum objectum.

XXX. Atque ita hunc in modum *Ens & communitatem* & *unitatem* sortitur, uti objectum hujus scientiæ esse possit, sortitur inquam ab *intellectu*, cum *hæc* universalitas & unitas Conceptus objectivi entis, ut & omnis alius à parte rei, non sit actu & realis, sed *rationis* tantum, non fecus, ac idem ens appellatur Conceptus, scilicet per denominationem extraneam à Conceptu mentis.

XXXI. Hactenus luculenter satis patuit, quid sit Conceptus Entis objectivus, & quomodo quoad *statum constitutionis* sese habeat; post quem ad reliquum ejus conceptum nim. *formalem* minori cum difficultate modò secedimus.

XXXII. Ut autem primò constet, quid hæ voces, *Conceptus*, *formalis*, importent, notandum ex subtilitate scholastica, quod *conceptus* vocetur ex eo, quia sicut ex congressu maris & foeminae concipitur intra uterum fœtus, qui per natiuitatem in lucem editur; ita ex concursu objecti vel ejusdem speciei cum intellectu, concipit intellectus ipse intra se quasi prolem,

prolem, quæ est verbum mentis, aut species intelligibilis expressa actu ceu imago expressissima representans objectum. Nam eo ipso quod aliquis intelligit, format in se similitudinem rei, per quam res est præsens intellectui in ratione termini & objecti, in quo intellectus intus legit & intelligit rem. Cum enim impossibile sit, ut res secundum se sit in intellectu, idè necesse habet, ibi per ideam suam & similitudinem expressam esse. Dicitur *formalis*, propterea quia talis Conceptus, noëma & idea in intellectu & ad eum sese habet velut forma ultima & terminus intrinsecus formalis conceptionis.

XXXIII. Unde descriptio *Conceptus formalis* in genere talis assignari poterit, quod sit *qualitas aliqua ab intellectu facta, representans per modum imaginis expressæ rem, durans quamdiu intellectus in actuali perceptione objecti perseverat*, ut Clariss. noster Præcept. honorandus Dn. Jac. Mart. prælect. privat. Metaph. inculcat. Defin. Conceptus formalis.

XXXIV. Ad pleniorè verò huius *conceptus formalis* notitiam acquirendam huc omninò in præsidium ex doctrina de anima accersendum, quod intellectui, prout is ad rerum intentionalem representationem spectatur, quatuor potissimum accidant. 1. *species intelligibilis*, sive imago rei impressa intellectui ab objecto. 2. *actus cognitionis*, prout est in fieri. 3. *Cognitio in facto esse*. Denique 4. *habitus* ex actuum crebritate generatus.

XXXV. Ex quibus cum 1. *species intelligibilis* in ratione actus primi & principii coefficientis 2. *habitus* tanquam in radice, quatenus de se inclinatur in veram cognitionem 3. *actus cognitionis* in fieri per modum viæ seu tendentiæ ad veram representationem intentionalem concurrant, nequeunt objectum formaliter representare, atque sic *Conceptus formalis* vice fungi. Proinde manet 4. quod *conceptus formalis* sit ipsa *cognitio in facto esse*, quæ dicitur conceptus mentis, imago sive species rei expressa ab intellectu, quæ species est.

terminus veræ actionis necessario præsuppositæ & quædam vera qualitas clarè intellectui objectum exhibens sicut id se est.

XXXVI. Ex quibus ultrò liquet, quod *conceptus entis formalis* nihil aliud sit, quam *illa imago, species, noëma & qualitas similis per speciem intelligibilem Entis operâ intellectus agentis in passibili per actionem veram producta & relicta, quâ intellectus informatus idealiter, sive intentionaliter præsens sibi habet ens.*

*Usus & abusus disputationis*  
DE CONCEPTU ENTIS.

Ne hujus quidem disputationis usus nullus est, ut ut for-  
tè inanes & steriles subtilitates multis esse videantur, quæ de  
Conceptu Entis formali & objectivo altiori speculatione  
proponuntur. In Metaphysicæ quidem *ἐξεργασία* non poteris  
hujus rei usu carere. Hæc enim *doctrina* non modò multum  
lucis affert reliquis *Contemplationibus Metaph.* sed etiam vix  
distinctè adsequeris *objectum adequatum Metaph.* sine benefi-  
cio hujus doctrinæ de Conceptu Entis formali & objectivo.  
Hæc scilicet accuratius *eruit* ipsam præcisam entis rationem,  
dum eam perplanè satis & quoad conceptum formalem &  
quoad ejus objectivum ( adde & universalem ) abstractissimè  
repræsentat. Nihil dicam *de aliis*, quibus non parùm commo-  
dat hæc doctrina ipsis Metaphysicis intra Metaph. cancellos  
versantibus, ut quivis facilè agnoscit. Extra verò *in aliis scien-  
tiis*, vel disputationibus usum habebit haut exiguum, si inde  
discamus & urgeamus 1. quod *objecta* disciplinarum sumi de-  
beant, non prout se habent in *statu suo fundamentalis*; ut lo-  
quuntur, quo modo multa extrinseca & accidentalia rei cui-  
vis adjacere solent; sed prout se habent in *conceptu objectivo  
proprio & adequato* 2. quod conceptum *Objectivum* unicè con-  
sideremus & secundum illum disciplinas determinemus, non  
verò



verò *formalem*; imò omnis definitio cujusq; entis fiat *secundum objectivum conceptum*. Res enim ipsa definiri debet non ejus *vōnra*. 3. quod *objectivus* conceptus sit *fundamentum* omnium eorum, quæ de aliqua re concipiuntur, aut traduntur, cui si conformentur, vera, si non, ut falsa rejiciantur: & inde 4. quod neque conceptus *formalis*, neque *intellectus concipiens* constituat rationem & veritatem aut rei aut conceptuum, aut scriptorum, sed solum *objectum*, ut illa planius constabunt ex axiomatibus. 5. quod illud potissimum sit urgendum in usu ac applicatione alicujus termini, quod *formaliter* & in *ultima abstractione* importat; non quomodo materialiter aliquando se habeat in hac vel illa re aut specie &c. sed hæc Tyronum captui sufficient. *Abusum* quod attinget, caveas ne vel per *confusionem* conceptus objectivi & formalis, vel per malam *usurpationem*, vel ob insufficientē *abstractionem* horum terminorum tibi imponant sophistæ. Sed lætis de hisce: notentur uberioris doctrinæ ergo sequentia.

#### A X I O M A T A.

1. *Conceptus Entis omnium primus est & simplicissimus.* Primus, quia latiore non admittit, neque respectum habet ad alium, qui ipso sit prior. Simplicissimus est, quia non resolubilis in plures conceptus, inq; ipsum omnes alii recurrunt & ultimò resolvuntur.
2. *Conceptus Entis est abstractissimus.* Quia ab omnibus inferioribus abstrahitur & in ultima præcisione consistit: & quidem ita, ut quando perventum est ad conceptum Entis præcisum, amplius fieri nequeat alia abstractio: quæ ipso ente sit vel superior, vel imperfectior.
3. *Conceptus Entis & quoad nomen & quoad rem unus est.* Constat hoc partim è thesibus, ubi ostensum est, quomodo omnia conveniant in ratione essendi; adeoq; unum indivisum conceptum pariant partim, hoc ipsum è quæstionibus magis constabit.

4. Con-

4. *Conceptus Entis præcisus & distinctus est ab inferioribus omnibus.* Attendes autem, quod conceptus objectivus saltem ratione sit præcisus à particularibus entibus: Formalis verò re ab iisdem: qua de re alibi egimus.

5. *Conceptus Entis non est abstractus secundum rem & rationem à materia; sed secundum indifferentiam.* Sunt, qui acriter pugnant objectum Metaph. nim. Ens seu Conceptum Entis esse secundum rem & rationem abstractum à materiâ, sed quò minus cum doctissimis viris istis facere possimus, facit illa communitas Entis, quâ etiam ad ipsa materialia accommodatur; item illa non-repugnantia Entis ad materiam. Brevisiter ita concludimus: *Quicquid in suo statu objectivo non respuit materiam, neq; repugnat materiæ, illud non est abstractum à materia secundum rem & rationem.* Atque Conceptus Entis taliter se habet in suo statu objectivo. E. non erit abstractus secundum rem & rationem à materiâ. Minor per se certa est: cum ens entisq; affectiones etiam reperiantur in materiatis & corporibus omnibus. Major exinde probatur, quia tum demum intellectus rem potest liberare secundum rem & rationem à materia, quando in suo esse proprio (non tantum non includit sed) excludit materiam positivè & per repugnantiam; ut Clar. Dn. Arnif. quando in statu objectivo repugnat materiæ, aut eam respuit vid. Dn. Gutk. Contempl. Met. & alibi passim.

6. *Conceptus objectivi norma & veritas est norma & veritas objecti seu rei ipsius extra mentis conceptionem existentis: Itemque Conceptus formalis norma veritasque est norma & veritas Objectivi Conceptus.* Etenim ab illo habet essentiam & sic normam ac veritatem suam conceptus, quod repræsentat: quippe omnis conceptus verus est per repræsentationem, ut infra dicetur. Eleganter hoc, quod dico, declarat Excell. Dn. J. M. in disp. quadam de vero simplici per exempla imaginis in speculo: quod unicè habet suam essentiam,

nor-

normam & veritatem ab objecto nempe facie hominis (stantis ante speculum) non vero à speculo velut subjecto. Hinc est, quod veritas enunciationum desumatur ab objectis, non à formali conceptu, sive à subjecto. Nam compositio illa, mentis, quâ facit enunciationem, est ipsa collatio seu conjunctio conceptus formalis & objectivi ratione identitatis; qua ostenditur eandem esse veritatem conceptus formalis & objectivi, v. g. hoc quod mente conceptum est, esse equum, sed hoc verum rursus est, non quia ita collatio facta est, sed quia ita fieri potuit, idè quod res objecta ita sit: nim. quia id, quod de conceptu formali dicitur in rei veritate repræsentat id, quod est extra mentem; & conceptus formalis rursus est idem secundum veritatem cum eo, quod dicitur, nempe conceptu objectivo.

7. *Conceptus formalis propriam & confusam suam veritatem æquè habet ab objecto ac conceptus objectivus.* Nam eo modo æquè debet esse conformitas rei & conceptus formalis, atque rei & conceptus objectivi, ut eruditè docet Excell. Dn. Jac. Mart.d.l. Id quod ex præced. axiom. etiam liquet, sed nunc quæramus.

I.  
*An Conceptus Entis objectivus sit unus?*

Quæstio hæc quærit id, quod tota nostra instituta disputatio jerat quæsitum, utrum videlicet Ens, quatenus constituit objectum sive conceptum objectivum scientiæ Metaphys. (de *Conceptu* enim Entis *formali*; quia non est transcendens, sed actus concipiendi in anima subjectivè herens & qualitas quædam de prima specie qualitatis (Nicol. Borb. 4. Met.) spectans ad doct. 2. de anim. hîc non nisi quatenus expedit & juvat unitatis indaginem objectivi conceptus præcipi debet) sit unum. Nos pro affirmat. quæst. ita argumentamur. I. *Quo-*

C

*rumq;*

*rumcunq; datur ratio communis, in qua intrinsecè & formaliter  
convenient; illa ratio communis abstrahi, præscindi atq; ita una  
esse poterit; atqui substantiæ & accidentis &c. datur ratio  
communis, in qua intrinsecè ac formaliter conveniunt. E. Illa  
abstrahi & per consequens una esse potest. Ratio majoris ex  
oppositis constat. Nam ab iis, quæ in nulla formali objectiva  
ratione & conceptu conveniunt, non est abstrahibilis cõmu-  
nis & una ratio; cum abstractio fiat semper secundum aliquo-  
rũ convenientiam ac similitudinem, uti res per omnes conce-  
ptus & rationes superiores aliquorum patet, v. g. substantiæ,  
corporis, &c. accidentis conceptus. Min. non opus habet ope-  
rosa probatione, cum omninò omnes res in ratione essendi  
convenient. E. 2. *Omne objectum* cognoscibile, quod circa  
suam potentiam gignit & habet unum conceptum forma-  
lem, unam imaginem & terminum; illud in se unum sit ne-  
cesse habet. Ratio clara est, prout enim objectum in se est,  
ita etiam in se movet & terminat suam potentiam, quando-  
quidem id, quod non unum est, sed multa potentiam suam ad  
unum numero noëma & cognitionem determinare, unam  
speciem, terminum & qualitatem suimet repræsentativum  
prolicere non potest, quia unius actionis singularis non nisi  
unus terminus per se est. Sicut enim unitas imaginis ex unita-  
te rei repræsentatæ, ita quoque unitas conceptus formalis  
ceu imago spiritualis ex unitate conceptus objectivi per il-  
lum repræsentati unicè æstimari debet.*

Atqui *Ens seu conceptus objectivus circa* intellectum ut  
propriam potentiam, habet unum actum, unum terminum.  
E. Minor prob. sicut omnis alia, ita quoque intellectus actio  
spiritualis ex termini unitate judicatur. Jam verò qualitas illa  
perfectiva in mente producta ceu terminus numero una est,  
cum ad præsentiam Entis intellectus non nisi unam similitu-  
dinem & conceptum formalem, rationem nempe commu-  
simam esse præcisè repræsentantem formet & intelligat.

Unitas

Unitas ergo termini necessariò præsupponit unitatem actus; unitas actus infallibiliter unitatem objecti, à quo, cum is sumat speciem & unitatem, nequit intelligi unus, citra proportionatum objectum etiam unum.

II.

*Qualis unitas Conceptus Objectivi sit, rationis, an rei?*

De *Conceptu formali*, cum is semper & ubique in intellectu sit vera & positiva qualitas singularis, ut Suar. d. 2. f. 1. n. 1. Clariss. noster Præcept. Dn. Jac. Mart. prælect. privat. docent, per se de facili patet. 1. quod ejus unitas ipsius quoque Entis respectu sit realis numero una, proptereaque pluribus planè incommunicabilis; atque ita. 2. propter hanc ipsam individuum suam entitatem ac unitatem ab omnibus aliis qualitatibus seu conceptibus rerum in mente productis in re ipsa præcisus ac distinctus.

Cæterum de *Conceptu Objectivo* non dubitant saniores quoque Philosophi in ambiguum descendere litem. Nos verò utrumque de eo inficiamur & quod sit unus re, & quod sit abstractus sive præcisus ab inferioribus, aliarumque rerum conceptibus & rationibus. Ac primum quod attinet ad ejus *unitatem*, ea non nisi *rationis unitas* est, idque ex eo firmissime deducimus.

Omne objectum alicujus scientiæ speculativæ est universale prout hoc contradistinguitur singulari. Conceptus objectivus Entis est objectum scientiæ speculativæ sc. Met. E. est universalis. Major suo pōdere persistit, quia de eo tantum, quod universale sit, accurata cognitio haberi possit. *Universalitas* enim est immediata conditio ut res aliqua cum scientiæ, tum intellectui in statu cognitionis subjiciatur. Minor quoque de adversaria est secura. Porro, omne universale confurgit



per notitiam mentis præcisivam & comparativam, unde in-  
divisionem actualem sortitur, quæ est unitas non extra, sed  
intra intellectum & ab eo existens & pendens. Proinde Con-  
ceptus Entis objectivus unus non re, sed rationis operâ erit.

III.

*An Conceptus Entis objectivus sit ita unus ut rea-  
liter inferiora & alios conceptus objectivos  
excludat, ab iisque præ-  
cisus?*

*Conceptus objectivus* Entis fundatur in universalissima,  
abstractissima, maximeq; omnium communi ratione, *quæ est*  
*in esse* in qua & sub qua omnes res in tota rerum natura possi-  
biles propter simplicissimam & intrinsecam ejus participa-  
tionem conveniunt & intimè inclusæ comprehenduntur, in  
hac essendi ratione cum intellectus videat omnia similia esse,  
abstrahit & præscindit simplicissimam hanc naturam, in eaq;  
omnia unitâ & ita constituit abstractissimum sine ulla limita-  
tione, concretionem, compositionem, distinctionem ac determi-  
nationem conceptum. Hinc argumentor: *Quicumq; conceptus à*  
*parte rei in omnibus rationibus cujuscunq; entitatis, gradus aut*  
*modi intimè imbibitur, ille ab omni concretionem & compositionem*  
*qualiscunq; etiam ea excogitari possit, perquam alienissimus,*  
*abstractissimus, summè simplicissimus, atque simplicissimè*  
*unus summus & ultimus est, ille etiam in respectu ad mentem,*  
*nihil eorum, in quibus intrinsecè radicatur propter hanc*  
*suam illimitationem, relinquît & præscindit, sed omnia sim-  
plicissima cognitione sua confusa quasi ratione repræsentat:*  
*atqui Conceptus Entis objectivus est talis. E. Ratio majoris ut*  
*invictissima suum robur ab omni instantiarum ictu facile*  
*vindicat. Nam quod rebus intimè illapsum, quod omnem*  
*entita-*

entitatis gradum ac rationem exhaurit, quomodo quæso  
concreverit cum alio, nisi cum insanientibus, qui nescio, quo  
genere furiarum inquietati jurant componi aliquid secum  
posse, statuas. Si ergo ab omni compositione absolutum,  
nihil jam poterit excludere, cum exclusio & præcisio separa-  
tiva non ratione ejus, quod ipsum, sed illius respectu quod  
non ipsum est, hoc est, distinctum & aliud, fiat. Min. nullo  
indiget præsidio, quia conceptus entis object. per omnem  
actum entitativum sese diffundit.

Sed ad penitiorum hujus rei perceptionem non negli-  
gendum est, quod *abstractio sit vel intellectus agentis vel possi-  
bilis. Agentis est cognitio naturæ in rebus singularibus, non  
repræsentatis conditionibus individuantibus. Unde vocatur  
abstractio præcisionis, sive præcisæ perceptionis, vel illuminatio.  
Abstractio intellectus possibilis est operatio, quâ idem confide-  
rat unum absque perceptione alterius. Hæc vel est præcisiva,  
hoc est, exclusiva per separativam præcisionem, ut quando  
abstraho animal considerando illud cum præcisione ut non  
importet, nisi gradum sensibilitatis. Vel non præcisiva, quan-  
do idem animal cognosco sine præcisione à speciebus. Prio-  
rem abstractionem nempe præcisivâ quod spectat, hic locum  
invenit nullum, cum ob intrinsecam transcendentiam suam  
Eas à suis inferioribus præscindi & extra illa percipi nequa-  
quam possit. Proinde posterior scilicet non præcisiva hic tan-  
tum obtinet, qua intellectus passivus per simplicem notitiam  
abstractivam quasi elevat Conceptum Entis confutum, ab  
expresso substantiæ vel accidentis, finiti vel infiniti &c. con-  
ceptu sive cognitione, qui naturam entis ita confuse ac inde-  
terminatè repræsentat, absque ulla tamen eorum reali seclu-  
sione, ut supra constitit.*

*An Conceptus Entis formalis sit unus re & reali-  
ter præcisus à conceptibus formalibus in-  
feriorum?*

Pro affirmante parte quæstionis ita concluditur. 1. Ex voce Entis. Omnis vox una ac simplex unam habens significationem ex impositione, significat & exprimit unum conceptum formalem. At Ens est vox una & simplex uno constans significato. E. Ens exprimit unum conceptum formalem. Major firma est: quia voces significant conceptus formales & exprimunt objectivos. Prob. Minor. Ens enim est vox una ex hominum instituto ad significandum *re* esse imposita, & *secundò* audito nomine Entis nullatenus distrahitur, sed præcisè ad rationem communem entitatis terminatur mens. 2. quicumque conceptus formalis alios inferiorum conceptus formales præsentat & significat, eum ut plures repræsentantem intellectus necessariò intelligit. Unus enim conceptus ut sic non potest non unum quid menti sistere. Atqui *Conceptum Entis* formalem mens ut plures repræsentantem non intelligit. E. non plures involvit. 3. & maximè ratio petitur à *conceptu objectivo*. Si enim *hic* unus est, *formalis* necessariò unus erit, ratio est, quia signum & signatum, quia similitudo, imago, repræsentans, & id, cujus est similitudo, imago & repræsentatum convenire debent. Objectum enim est mensura conceptus etiam secundum unitatem. Quod formalis conceptus sit unus re & præcisus ex superioribus liquet.

SUPER



## SUPERPONDIA.

I.

*An in Rami Logica ullum sit artificium? N.*

Quod boni Ramus habet in suis pagellis dialecticis, id omne ex Aristotele subfuratus est. Ipse verò ex suis nil addit præter confusionem, everfionem & mutationem terminorum sive vocabulorum technicorum. Quod si artis ullius est, & quivis facillè poterit nomen equi mutare in nomen hominis vocitando id equum, quod aliàs communiter solemus nominare hominem & contra. Miror, cur Ramicolæ non, etiam calceum appellitent pileum, & contra pileum dicant calceum. Aliàs enim satis acuti sunt in commutandis rerum voculis, uti est in confesso.

II.

*An Rami Logica ostendat modum prædicandi? N.*

Primum est in Logicâ ut per notiones Logicas informemur, quomodo conceptus de se invicem prædicari debeant & possint: Quemadmodum id Aristotelici ostendunt doctrinâ synonymorum & paronymorum, ut & prædicabilium. In Ramo nil quicquam hac de re. Volunt quidem ac si Ramus tradat prædicabilia, sed ubi quæso ritè proponit naturam differentiæ, proprii & Terminum per accidens? In doctrinâ speciei speciem specialis. ineptè commiscet cum individuo. Imò, si viri sunt, ostendant, ubi *Logicè* quicquam de prædicabilibus tradat Ramus: Vel ubi aliis instrumentis Logice modum prædicandi exponat. Nos illam ex Arist. lib. categ. capitibus 1. 2. & seqq. haurimus. Lege si dubitas, quæ docentur in categoria substantiæ &c.

III. *Ans*

*An omnis Relatio sit accidens? N.*

Ita statuit contra Dn. Gatk. Ramista quidam. Sed ex ignorantia. An nescit, quod Relatio sit terminus transcendens, qui tam substantiis, quam accidentibus communis est? Abstrahatur ergo & precise sumatur terminus Relationis, & tunc apparebit, quod dese importet *esse Ad*, non verò *esse in*. Sic enim vel ipsa vox Relati sonat, quod ad alterum referatur. Licet verò in creaturis illud *esse ad sit* conjunctum cum *esse in*; hoc tamen non impedit, quo minus Relatio, quatenus talis, esse possit *sine illo esse in*. Hic itaq; distinguat Ramista *inter Relationem predicamentalem & transcendentalem*; illam accidens esse non adeò negatur; sed de transcendentali omninò negandum est. Sic enim causam esse, creatorem esse, in Deo sunt relata, nec tamen accidentia. Deinde distinguat Ramista *inter Relationem subsistentem & inhaerentem*. Hæc est quidem accidens, non verò illa.

F I N I S.




AB: 67  $\frac{5}{c, 10}$

ULB Halle  
003 357 104

3







B.I.G.

Farbkarte #13

4

TIONUM  
 SICARUM  
 TIA

U ENTIS.

ET FORMALI,

IN DEO

RESIDIO

S SCHARFII

. Saxonis,

*cultatis Philosophice*

*iffima*

*NSI Academia*

ini subjicit

Bach / Ulmano

us.

*ilosophorum*

. Martii

tinis.

ERGÆ

RISTANI THAM,

ypogr.

OC XXIII.